

**1323-1323- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Burdigalam Celebrati**

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis apud Burdigalam celebrati  
 anno Domini · M° · CCC° · XXIII° ·

**Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus, quod de sancto Thoma de Aquino, venerabili doctore, fiat per totum ordinem septima die marci totum duplex et in letania immediate post beatum Dominicum nominetur; et illud officium per totum ordinem uniformiter habeatur, de quo magister ordinis providebit, cui ex nunc committimus de predicto officio providendum; et hoc tam de festo quam de officio suis locis in calendario et ordinario annotetur. Volumus autem et ordinamus, quod interim de eo sicut de uno confessore officium per totum ordinem celebretur.

**Iste sunt approbaciones.**

Approbamus hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: quilibet prior provincialis potestatem habeat mittendi duos fratres ad studium, deleatur totum, quod sequitur, et dicatur: quod si in aliqua dictarum provinciarum etc.

**Iste sunt confirmaciones.**

Confirmamus hanc: Scilicet quod officium corporis Christi per venerabilem doctorem fratrem Thomam de Aquino editum, ut asseritur, per totum ordinem fiat feria · va · post festum trinitatis usque ad octavas inclusive, et dictum officium in ordinario in locis debitis annotetur.

**Iste sunt declaraciones.**

Declaramus hanc: In capitulo de graviore culpa, ubi dicitur: si quis tale quid extra monasterium commiserit, ad lapsum carnis iuxta constitutionis seriem tantummodo referatur.

Item hanc, ubi dicitur: Volumus, quod de corpore Christi officium editum per beatum Thomam de Aquino, ut asseritur, per totum ordinem fiat, illud officium a beato Thoma editum dicimus, quod a capitulo Barchinonensi ad omnes provincias fuit missum.

**Iste sunt admoniciones et ordinaciones.**

Cum electiones nostre maxime libere esse debeant et omni nota coactionis carere et inveniremus, quod notabiles excessus circa assignaciones fratrum ad conventus et mutaciones ab eisdem, imminentibus electionibus, in quibusdam provinciis sint commissi, districte iniungimus prioribus provincialibus et quibuscumque vicariis, quod infra mensem ante electiones quascumque novas assignaciones et mutaciones fratrum non faciant in conventibus, ubi huiusmodi electiones fuerint celebrande, nisi pro officio lectorie vel pro gravi scandalo evitando vel nisi in capitulo provinciali in loco ipsius provincialis capituli, sicut in aliquibus provinciis fieri est consuetum. Quod si contrarium factum fuerit, huiusmodi assignaciones seu mutaciones quoad vocem suam non sorcianur effectum. Supprieores autem imminentibus electionibus et tractatibus a suis officiis nullatenus absolvantur.

Item. Cum invenerimus in quibusdam provinciis multos conventus carere lectoribus contra nostri ordinis instituta, volumus ac districte iniungimus prioribus provincialibus universis, quod singulis conventibus suarum provinciarum, postposita quacumque excusacione, provideant de lectore; ubi autem fratres ad hoc idoneos esse contigerit in aliis officiis occupatos, volumus, quod suis officiis absolvantur, si de lectoribus non posset aliter provideri; adiacentes, quod studentes redeuntes de studio generali non fiant priores vel supprieores usque post tres annos. Et ut predicta valeant melius observari, volumus et ordinamus, quod studentes in facultate quacumque teneantur continue sequi scholas, disputationes, collaciones in · vi · feriis, repeticiones eciam lectionum ante prandium quoque, quando actu non legitur, in studio seu collacione scientifica se occupent, quantum possunt. Qui autem circa hoc inventi fuerint negligentes, a studiis absolvantur. Ceteri autem fratres non studentes per penas graves sequi scholas continue et studio vacare a suis prioribus compellantur.

Item. Volumus et ordinamus, quod fratres iuniores non mittantur ad studia arcium nec ad sacros ordines promoveantur, nisi sint in divino officio et grammaticalibus sufficienter instructi.

Item. Cum ad exaltacionem catholice fidei inquisitores heretice pravitate omni nota cupiditatis aut nimie sumptuositatis mundos esse deceat et immunes, districcione, qua possumus, imponimus inquisitoribus universis, quod singulis annis, semel de receptis et expensis pro inquisitionis officio suis provincialibus rationem reddant claram et integram et perfectam. Et volumus, quod provinciales eorum rationem ab eis exigant, eciam per preceptum. Quicumque autem inventi fuerint in pecuniarum receptionibus vel in immoderatis expensis notabiliter excessisse, a suis officiis absolvantur.

Item. Cum plurimi fratres ambicione detestanda elati sibi indebite honores querant et importune procurent per personas extra obedienciam ordinis constitutas, unde scandala et turbaciones sepius sunt exorta, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, quod nullus procuret per se vel per alium verbo vel scripto officium, gradum, statum vel promocionem aliquam pro se sive pro alio in ordine obtinendam. Insuper, eodem precepto astringit illos, qui procuraverint aliquem impediri quantum ad premissa vel ab adeptis ullatenus amoveri. Qui vero in aliquo predictorum contrarium fecerint, sentenciam excommunicationis late sentencie ipso facto se noverint incurrisse; quam sentenciam prefatus magister coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu.

Item. Omnes gracias a reverendo patre magistro Herveo, quondam magistro ordinis, per litteras patentes concessas fratribus quibuscumque magister ordinis approbat et confirmat.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne aliquis frater nostri ordinis, cuiuscumque status aut condicionis existat, ad Romanam curiam presumat accedere neque de suo conventu iter assumat cum intencione ad eandem Romanam [curiam] accedendi sine eiusdem magistri licencia speciali. Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Letania more solito dicatur.

Item. Ordinamus, quod missa de beata virgine et de beato Dominico in quolibet conventu, in aliqua vacante feria singulis septimanis, ac de beato Petro martyre ad minus semel in quindena sollempniter celebretur.

**Iste sunt absoluciones.**

Absolvimus hos priores provinciales: provincie Tholosane, Provincie.

Absolvimus priores conventuales: Tholosanum, Carcassonensem, Rivenensem, Albiensem, Bellividerem, Petragoricensem, sancti Severini, Marciaci; et volumus, quod priores in isto capitulo absoluti non possint restitui in eisdem provinciis vel conventibus ad eadem officia isto anno.

**Ista sunt suffragia pro vivis.**

Pro sanctissimo patre et domino nostro domino Iohanne dei gracia summo pontifice quilibet sacerdos · iiii · missas.

Numerus missarum pro vivis quinquaginta quatuor. Pro defunctis viginti.

Notum facimus fratribus universis, quod frater Andreas diffinitor pro provincia regni Sicilie, rediens de capitulo generali Barcinone celebrato, mortuus fuit in via.

Item. Notum facimus, quod diffinitor pro provincia Dacie, veniens Burdigalam ad capitulum generale, mortuus est in via.

Assignamus Parisius ad legendum sentencias isto anno fr. Guilielmum de Costa de provincia Francie.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris et bachalariis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire. Ordinacionem vero de bachalariis et magistris studencium in generalibus studiis volumus inviolabiliter observari<sup>1</sup>.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus apud Herfordiam in provincia Saxonie; et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant. Nullus autem alius frater, eciam si licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante · viam · feriam vigiliam penthecostes immediate precedentem. Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerint vel loco capituli cum intencione veniendi appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

Volumus et ordinamus, quod diffinitores anni presentis et socii eorumdem cum pueris in redeundo de capitulo generali bene et curialiter recipiantur et caritative tractentur et secundum facultatem conventuum melius procurentur.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXVI.

---

<sup>1</sup> Cf. supra pag. 125 l. 19 sqq.